

pedemque libere movere, quod ante pul-
veris usum erat impossibile.

EXPERIMENTUM X.

ERAT IN NOSTRO nosocomio homo, tri-
ginta aliquot annorum, qui atro-
cissima arthritide jam ultra novem men-
ses decubuit.

Remedia interna externaque magna
dosi & diu exhibita nil prorsus juverunt.

Omnes articuli totius corporis do-
lentissimo tumore erant inflati, æger nec
manum nec pedem potuit movere, no-
ctes erant insomnes, inquietæ.

Quamvis diversissima & alias maxi-
me utilia remedia huic ægro fuerint ad-
hibita, morbus tamen nequaquam muta-
batur, imo quædam symptomata vide-
bantur exacerbari.

G

Nec

Nec cicuta, ultra sesqui mensis spatium magna dosi diligentissime assumpta, levamen ullum attulit.

Miserrimo hoc in statu cum nullum ferme medicamentum, quod sanitatem promitteret, supereffet, rogavi Dominum Doctorem Collin, Eruditissimum meum collegam, vellet pulverem de aconiti extracto huic ægro præbere.

Post paucos dies obstuimus mirum effectum, non tantum dolores omnes mitigabantur, sed & jam quædam in membris mobilitas videbatur.

Post binas septimanas tumor articulorum jam erat multum diminutus, adebat in manibus eorumque digitis major & indolens flexilitas ac movendi potentia.

Finita tertia septimana æger fulcris suffultus jam potuit pedibus uti.

Quiete absque omni dolore dormivit,
appetiit, vires augebantur, nec ullum ex
pulvere molestiam, licet saepius rogatus,
conquerebatur.

Sub initium secundi mensis sine ful-
cris ambulavit, manu sinistra pugnum
sat firmum formavit, id autem dextra
manu praestare non potuit, quoniam ad-
huc aderat tumor circa carpum.

Finito secundo mense omnia membra
sat libere movit, liber erat ab omni do-
lore, omnes fere articuli molem ac fle-
xibilitatem naturalem habebant.

Sensibilitas tamen in iis partibus, quæ
antea dolente tumore erant tensæ, ma-
jor percipiebatur, ac id in statu sano fie-
ri solet.

Finito tertio mense hicce homo sanus
descessit e nosocomio.

Quanto oblectamento hoc experimen-
tum Doctissimo Domino Collin mihi que
fuerit, bonus quivis facile intelliget.

Etenim novem mensium labor assiduus
& omne adhibitum medicamentum fru-
stra fuit in hoc ægro, solus pulvis de aco-
niti extracto miserum, quem jam pro
perdito habuimus, feliciter servavit,
sanavit.

Primas duabus septimanis æger ex
hoc pulvere mane sumpfit grana quin-
decim, & totidem vesperi.

Tertia septimana ter quotidie daban-
tur grana quindecim; in principio se-
cundi mensis eadem dosis quater fuit
exhibita, nec opus fuit eam augere,
quum optatus inde effectus obtinebatur.

Sub usu hujus pulveris ter datum est
purgans, quod semper cum euphoria ali-
quoties movit alvum.

EX-